Najmanowicz Jacobus

Speronowicz Joachimi: Threni lugubres in funere Iacobi Naymanowicz.

THRENI LVGVBRES,

In Funere

Perillustris & Admodum Reuerendi Dñi,

IACOBI NAYMANOVVIC

I.V. DOCTORIS, ac PROFESSORIS,

CANONICI CRACOVIEN:

Archidiaconi Pileceñ.

RECTORIS ACADEMIÆ GENERALIS,

Nomine bonorum & gratorum Ciuium,

A

M. IOACHIMO *SPERONOWIC,*

Collega Maiore, Sanctæ ANNÆ Canonico,

CONCINNATI.

CRACOVIÆ.

In Officina Francisci Cæsarij, Anno Dñi, 1641.

D. Gregor: lib. 24. Moralium.

IVstorum animæ, leuibus quibusque contagiis, ipso sæpè mortis pauore purgantur, & æternæ retributionis gaudia, iam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque verô contemplatione interna, etiam priùs quàm carne spolientur hilarescunt: & dum vetustatis debitum soluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur.

SVmmi Monarchæ, promptior monitu Dei,
Rectoris immortalium, & mortalium,
Discessit hinc, mortalibus tumulo datis
Spolijs, & vrna tantulâ tectus iacet
Clarus Sacerdos, arbiter iusti tenax.
Felicibus, qui publico natus bono
Spatijs videbatur, dolendi temporis,
Veris propagando artibus, curâ graui.
Tam illustrium pietate, magnorum sacris
Conatibus, pro Ecclesia & cultu Dei;
Casti Vaueli ciuium, frater sacer,
Ligno voraci conditus, iacet, silet.
Decor Lycæi mater illustris tui,
Mærore complens ciuium mentes graui,
Sarcophagũ in angustum datus præceps tacet.
Seuera mors tam doctum & excultum caput.
Ac barbaram Lachesin, profanando aggredi
Quæ potuit? hoc decreta facta à sæculis
Voluêre, factum est, vnde sæuos non leuis
Stimulos doloris, præferunt Magni patres,

Sydera Vaueli, ſanctitatis lumina,
Suſpiriaq; ex imis mouent præcordijs,
Confratre tanto deſtituti. Nec minor
Placidæ parentis mæror, inſedit pium
Vultum, ſtupet enim corripi tantos viros,
Tanto impetu, ſpectata quos prudentia,
Rerum Magiſtra, publico fecit bono,
Tantùm probatos, vtiles, iuſtos, graues.
Hinc acer altum perfodit pectus dolor.
Communis omnes admonemur conſilij
Mortalitatis, quam anteuertamus ſinit
Dum Deus, & aptum tempus ad iuſtum vocant.
Quam facile vita heſterna prolabi poteſt,
Quæ viuido aucta firmitatis robore,
Neſcio quid ingens, pollicebatur ſpei
Productioris, dum tumemus ſic rati.
Turbata ſqualet, falce mox tandem trucis,
Succiſa mortis vita diſcedit procul.
O fata, fatorumque formidabiles
Sortes, ruinæ ô grandibus plenæ dolis,
Quàm fraudulentis perfidam tot caſibus,
Vitam fugaces ducimus patriâ procul.
Pænis vetuſtæ plectimur diſcordiæ,

Quouis

Quouis vocati tempore, incerto licet,
Omnes tenemur currere hinc ſpatio breui:
Formidoloſis heu modis hoc ſqualido
Poſito ſago. ſic feruidæ lubentiæ,
Mortalium totum genus, pænas luit.
Exempla rogitas? cerne tumbam luridam
Quantus Sacerdos, hic ſitus credis latet?
Sapientiæ interpres, loqui iamiam nequit.
Nec diſputabit amplius Doctor grauis,
Qui more digitorum reſoluebat probè,
Documenta nodis implicata gordijs,
Diuinioris iuris, humani quoque.
Vultus amænos condidit placido ſitu:
Fatale triſtis claſſicum expectans tubæ.
Sed quid ego ludor? quid dolorem concito?
Vtrumne ſenſus, vota decipunt meos?
An viuit ille præſes auguſtus tui,
Mater Lycæi; ô viuit, eſto iam cauâ
Concluſus vrna, exile quiddam condocet.
Hoc eſſe, quod mortale ſpectatur decus.
Sed viuit tandem iam bonus rector, parens
Benigna viuit, ille ſol Sarmaticæ,
Regni ſuperſtes totius viuit ſcholæ,

 Pilio-

Pilioque ſeneviuacior iam redditus,
Numerabit ætates ſerenas, cælitum
Conciuium adſcriptus choris, clementiâ
Chriſti Monarchæ, ſanguinis pretio, & crucis,
Vt credimus, feruentibusq; expoſcimus
Votis, renatus, gaudet immenſis bonis.
Quodſi beatis iuſſu Tonantis choris,
Sociata amænis mens fruetur gaudijs,
Quid noſter vllas clari amoris teſſeras
Virtutibus clariſſimis, ſummi viri.
Orbis dabitne? tot frequenter concitus
Cur non dederit? eſto metus pauidum tenet
Pectus, puſillo temporis, ſpatio videns,
Oculis ademptum luminis grati decus.
Quid tum? voracin? facta tot illuſtria,
Letho dabuntur? porrigentue herbam tibi
Virtutis auguſtæ comes, liuor grauis.
Sed non dabuntur germina hæc pulcherrima
Diuinioris mentis, æternum tibi
Silicernium, quid rude perſtrepens ſono.
Viuent, vigebunt, prædicabuntur nouis
Ætatibus, prolata virtutum agmina,
Semper nouis exaggerabuntur modis.

Sic

Sic ſic manſura eſt, maximorum præmium
Virtus, laborum, ſic perennes exiget
Annos, tenaci inſculpta cordis marmori:
Gratiſſimorum ac Ciuium tot mentibus.
Sic poſterorum proferenda in terminos,
Veluti recenti Phænix nata nidulo,
Quid ita? coruſcum creditur mentis decus
Atq; acta benè, feliciorem tunc ſtatum,
Vitæ ingredi; & multò ampliùs ſenſu frui,
Cùm corporis ſoluta mens eſt vinculis.
Virtute mentes inclytas fructus decent
Hi præmiorum, vita quos iuſta extulit.
Sublimiori Eccleſiæ fixæ tholo,
Summi lucernæ, & candidum germen Patris
Solidæ columnæ præſulis ſanctiſſimi:
Vos vos poteſtis perſequi perinclytâ.
Virtute quantùm valuit & Conſo graui,
Confrater ac pars clara veſtri conciliĵ,
Soli poteſtis nobiles tanti viri,
Memorare ſenſus planiùs, magnis diu
Exercitatos rebus, acri quas manu ac
Animo, ſolebat vindicando gnauiter,
Tanquam Hercules aduerſa ſemper proterens
Omine

Omine ſecundo, iam aggredi; iam ſternere.
Quem multiplex mente aurea cinxit decus
Honoris, alto culmine ac faſtigio
Mortalium res collocantis, quo gradu
Suprema ſummi deſtinat regis manus.
Pietate quantum ſingulari præſtitit
Lucens & ardens intus, ardens & foris
Tot comprobant exempla feruoris ſacri
Nam ſeu diſerto detonabat gloriam
Sermone, Diui Numinis, totus pijs
Incendijs mentes bonas cælo aſſerens
Flagrabrat: altum ſeu Monarcham ſupplici
Veneratus obſequio tremendum Maximo
Natum offerens tam victimam iuſtam Patri
Trepidantis inſtar arrhabo adſtabat ſacris
Altaribus, veniam rogans tot criminum,
Quot orbe toto Chriſtiano perſtrepunt.
Iam abſconditarum quam frequens illi precũ,
Conſedit vſus, pectoris proceſſibus,
Quam paſſionis Chriſte Rex iugis Tuæ
Memoria, crucis, & ſanguinis profuſio,
Cordi optimo ſuauiſſimus fuit cibus.
Teſtatur id detritus vſu iam liber,

Gemmis

Gemmis & auro contegendus dignius
Meditationum; quem manu crebra ſatis
Voluens, reuoluens, reddidit planè ſuum.
Sic clauſa cordis, exit in lucem omnium
Pietas, & altæ aſcenſiones in Deum,
Quibus illa mens adhæſerat promptiſſimè.
Profeſſionis ſedulus cultor ſuæ,
Conſueta nunquam debiti certaminis
Munia remiſit, conditos rerum vigil
Senſus reſoluens, limitans, iuris citans
Antiſtites, quos ſol ab ortu aſpexerat.
Cathedra ſui mirata Doctoris decus,
Tot artium digniſſimum pectus videns,
Connexionumq́; audiens faſtigia,
Quid iura ſacri vel prophani codicis
Permitterent, cum panderet, vel tollerent.
Sic Iurium Doctor propagabat bonum:
Æquo laborem candidum vultu ferens,
Quæ facta viuis confouebunt ſenſibus,
Pectoribus & gratiſſimis tot poſteri.
Sic non opacis deliteſcent conditi
Cryptis, labores publici cauſa boni,
Cum ciuibus pariter bonis, quos hauſerit,

Auida paratus mente, vitam & ſanguinem
Fundere; dolendis ianuam conatibus
Sic clauſit, acer iuribus priſcum decus
Reddidit, antiquum vindicans Zelo ſacro
Fas dignitatis, rector exemplo pio.
Virtute claros clara ſic cuncta addecent.
O maxime heros, Attycæ vindex Tuæ,
Præmia capeſſas laudibus dignus Tuis,
Laudis canoræ viua nec tandem ſatis.
Nam quis peractum totiùs vitæ decus
Depingat exacto colore vt poſtulat
Æqui ratio, decus vel Aſtrææ nitens.
Decore vitæ ſingulari floruit,
Cumulatus altis dotibus prudentiæ,
Quam gratus & recti tenor, faſque inclytum,
Conciuibus quam vis agendorum ſuis,
Defixit altè: claritas, candor, fides,
Sedata mens, iuſtum tenax, pectus ſequax
Voti bonorum, perſpicax in arduis
Mens, ponderans negotijs, dicta omnia
Recta bilance, ac proferens ſenſum grauem.
Quo fluctuantes vinculis veri tenens
Animos ad amplum commodi duxit decus,

Seu

Seu magna paruis parua seu magnis potens
Iungendo distrahendo componeret simul
Quid multa? summædignitatis speculum,
Virtutibus clarissimis pellucidum,
Lumine tenebat nobiles animas pari
Tam facilè quàm vultu serenato omnia
Ferebat, aduersissima esto fluxerint.
Hunc namque victor duxerat pulcherrimum,
Virtutis almæ aduersitas si promeret,
Filia parentis quem nepotem splendidum.
Non hæc tuorum mira sunt certaminum,
Tot gesta? non hæc posteri natis graui
Sermone memorabunt? parens ast inclyta
Multò magis, dum mænibus sub Craciæ,
Istula perennes crebro voluet alueos,
Doctæ phalanges non tacebunt perpetim,
Quin explicabunt arduas victorias,
Animi vigore, & ausibus partas tuis:
Totiesque adauctas, prospero certamine,
Pro gloria summi Dei, pro liberis,
Conciuibus quos Maximi æternus fauor
Rectoris, alta vindicauit dextera
Iam, vindicabitq; ampliùs quod credimus

Animiſq; demiſſis rogamus, vt locum hunc,
Tot ſæculis ſanctiſſimum, ſeruet potens
Dominator, & princeps Deus, cæli, ſoli
Dum mundus & mundi inclytæ pretio ſui,
Regnis vigebunt floridis ſcientiæ,
Gymnaſiorum culta claris artibus,
Qui ſanctiorum ſunt Athenarum chori,
Dum tecta ſtabunt, Cracia ô fautrix tuis
Campis, vetuſtam Principum ac Regum, Tuæ
Fidei datam regni ſcholam, natis tuis,
Natiſq; regni ampliſſimi, quos confoues,
Seruabis auguſta fide, ac prudentia.
Sanctiſſimi cæleſtibus regnis patres
Proſpicite, adeſte ô vindices audaciæ
Depellite ac veſtra patroni gratia.
Cuiuſlibet; procul procul proteruiam.
Sed quo impetus me corripit tandem tenax ?
Felix anima, felicibus quod credimus
Sociata regnis & choris conciuium
Mens bona ſerenis, cum Deo iam ſortibus
Fruitura noſtris aſſueſce tandem candida
Votis vocari candidis promptiſſimè.

nc,

ui,

Tuæ

nax ?

us
da